

pg. XXXVI, 11.

זירני יהוח רוכך אחלך באמתך ייחד לככוי ליראה שמך

INSTITVTIO MINISTRI EC- CLESIÆ MINISTERIO RENVNTIANTIS,

Om/ och huruvida en Präsiman/ som Prästerliga ämbetet
tilbörligen antagit/ thet sedermera frwillingt sig affäja kan;

*Quam breuissime consignatam,
consensu venerand. Facult. Theolog. in Regia Acad. Aboens.*

PRAESIDE

ANDREA BERGIO,

S. Theol. Doctore & Prof. primario,


AVCTOR

Mag. LAVRENTIVS STEENBÄGER /

In publico sapientiae, ac virtuti, litantium consellu, pro
rostris academ. defendet d. V. Nouemb. A. C.

CICICCCXXXVII.

ABOÆ, excud. JOH. KIEMPE, Reg. Acad. Typogr.



ANTECESSIO.

DE grauitate, ac periculis ministerii ecclesiae
stici multi quidem loquuntur, rem pro me-
rito non exprimunt omnes. Agnouit graui-
tatem, agnouit pericula ministerii huius, ca-
na piaque antiquitas: at obstupuit, onus illud an-
gelerum etiam humeris tremendum vocando. Agnouit
Chryostomus, & tantum motus est animo, ut de
salute ministrorum ecclesiae dubitarter pronuntiauerit:
mirum, si sacerdos saluerit! Ab erederent hoc, di-
uina fide, presentis seculi homines! non profecto in-
caute adeo hoc munus expeterent; qui expetiuerent,
& adepti sunt, adeptos se esse contremiserent. Sed, quod
sentio, dicam, quanta molis, quanti laboris, si hoc
ce rite obire officium, absconditum est terrenis, terre-
na sapientibus; reuelatum illis a patre lumen, quos
^{19.}
Pbil. III.
ipse suo instruxit lumine, ad dijudicandum ea, que
^{14.}
i. Cor. II,
sunt Spiritus, spiritualiter; quos ipse virtute ex alto
^{12.}
Pbil. II,
induit, ad curandam, cum timore, tremoreque, su-
am, aliorumque salutem. Etenim illi demum experi-
untur, quanti immense bonitatis Deus animas huma-
nas

nas acq[ui]net, quan[do] ip[s]as pretio redemerit Iesu, am-
mor & deliciu[m] humani generis! in quam profun-
dam corruptionis voraginem, techna & fraudes satan-
ne animas precipites egerunt; quam denique difficulter
inde iam educantur, ut ad Deum postlimnio reuersae,
sortem inter sanctificato[r]s accipiant, fide in ipsum. At-
que hec, & alia que his sunt similia, ipsum scire
oportet, qui deuotae mentis oculis examinare vult gra-
uitatem ac pericula ministerii ecclesiae. Fallor, an
omnino ex hac gravitate, ex gravissima, quam iudici
viuenium & mortuorum instifissimo, reddituri sunt ra-
tione, illi omnes, quibus cura animarum commissa,
illud sit deducendum, quod antiqui illi, quos venera-
mur ecclesie doctores, & Antisibites, quaeri, & inui-
ti vici tandem ecclesiae, precibus, cogi quasi maluer-
rint ad functiones ecclesie, quam ipsi querere, ipsi se-
sa ad eas offerre? Hinc, habito simul ad simplicita-
tem rituum, istorum temporum, respectu, non male
quidam ICLus; Ecclesia, inquit, tunc ligneos habebat
calices, at aureos sacerdotes; bodie, lapsa sensim ve-
terum disciplina, ligneos multos sacerdotes, & au-
reos habet calices. Scilicet, non nostro hoco aeuo, quae-
rendi sunt, nedum cogendi: ipsi sese, inflati aptitudi-
ni opinione, sacris ingerunt officiis. In rerum diuinarum
cognitione, in sancta conuersatione, in cruce & ad-
flictione, plane hospites vel nouitii, commoda & fru-
ctibus exigue eruditio[n]is, precipiti spe vorant, ad vo-
ta properant, immaturos in sacris litteris progressus &

impios saepe mores in coetum Dei propellentes. Vbi tandem, euidenti stultitiae documento, alios ad salutem perducere videri volunt, quam ipsi irreuerenter negligunt. Licet difficile ipsis valde sit sagioribus persuadere, se hoc serio agere, ut saluti aliorum consulantur, dum suas ipsi res adeo negligenter curant. Haec illa est calamitas ecclesiae, cui pauci condolent, pauci remedium quaerunt! Tales doctores, si quando, per abundantiam diuine gratie, eo peruererint, ut, in confusione rultus sui, inter lacrimas & lassitudines vere pénitentiae, gressus suos, inde ab initiis, vitam vanam, & profanam, excutere queant: munus, fœdo ambitu, affectatum, quod humeris suis par olim censuere, secundis & sanioribus cogitatis, omni alio longe grauisimum persentiscunt: hinc mille aepius morsus conscientie, mille scrupuli, quomodo ab hoc onere, hac statione, qua funguntur, laboriosa, ac aleae plena, liberati, manuque missi, alia, commodiore, ut ipsis videntur, & faciliore, ratione, Deo, ex debito, seruiant. Possem hoc repetitis tum ex veteri memoria, tum viuis ac spirantibus exemplis confirmare, si mibi iam prolixiori esse liceret. Verum enim pios etiam, ac fidèles, ministros J. C. qui nulla prensatione prepropera, aut extorta, sed sponte enata, prouida caeli cura, vocatione vocati, tranquilla hinc in conspectu Dei conscientia vivunt, actiones suas ad primac mentis letem omni nisu conformando, cum lorum aepius videas aut exemplis, aut consiliis, turbari, angue; e re, hoc in primis

primis tempore, ratus sum, loco speciminis alicuius in
Theologia, ad lanceam, & statim veritatis, medi-
tatione excute, ea ipsa expendere, que in breuitate
dici possunt, ac moueri, circa hoc argumentum: An
minister ecclesiae s.l. ordinibus rite semel initiatus,
iisdem lese abdicare sponte possit? Habet hic,
christiane lector, institutum meum. Sed doleo insi-
tuti legem hec mihi insinuare, ut pralibentur ea, non
vbiore, pro rei dignitate, calamo euoluantur, que
hic dicenda sece offerunt. Interim paucula hec deuotio-
ni tue, non vano animo, sibi; sed ut vel hinc aliquan-
tulam occasionem nanciscaris, supra mala nostra, con-
fusus, & lacrimis manans, ad IEsu pedes temet pro-
iicere, haecque, & alia pietatis suspiria, corde, o-
reque, Iesu amorem, Iesu gloriam, spirante, tecum
edere, edita iterum atque iterum ingeminare: messis
multa, operarii pauci! Emitte, Iesu! operarios in
messem Tuam! Miserere ecclesie iam agonizantis, &
tantum non exspirantis, propter vulnera Tua sanctissi-
ma!

SECTIO PRIOR.

Argumentum:

Notione renuntiationis a posteriori inuestigata, eam
in coactam atque spontaneam, dispescimus. Vtrius-
que porro considerationem ita insituentes, ut re-
spectus habeatur modo ad impios, modo pios, modo
tentatos, verbi dñini ministros.

§ 1.

VT euitatis ambagibus, recto statim irinere, ad arcem & caput rei, contendamus, legibus bonae methodi conuenienter, quas sancte seruare debent meditationes suas legitime instituentes, a distincta euolutione terminorum, substratam rem ingredientium, initium facimus. Isthoc enim arrificio, quo nihil vagum, nil nisi fixum, & distincte euolutum, in terminis admittitur, tesquis & salebris, aut in humanis, aut diuinis rebus, minus bene iudicantium obicem optime poni, & facili vident perispicaciores. De terminis, minister ecclesie, ministerium, non tamen est, vt multum laborem; sunt enim ex familiaribus supponendi potius, quam, per nimiam φιλοσοφίαν, excelsum in definiendo, definiendi. Quid *ff.* ordines, ordinatio, inuoluant; quanti pretii sint; an omnino physicam qualitatem, & characterem indeleibilem, ceu fingit Romana superstitione, ordinatis impriment, commodiore loco inferius dicetur. Hic, in praesenti, princeps mihi terminus renuntiatio, vel si mauis, abficiatio, cuius notio notionis quidem directricis vicem iamiam obibit. Iuuat autem hic, duce experientia, ad exempla, & casus speciales, attendere, in quibus hoc virtutum termino, & notione ipso indicata. Renuntiare, cum communis sensu, vnuque, dicimus am-

amicitiam alicui, & familiaritatem, iurum
& officiorum communionem, quibus recipi-
proci animorum orbes, quadam quasi circui-
tus magnetici ratione, haec tenus absoluerebantur,
dissoluimus. Civilibus officiis qui renuntiat,
delegatum sibi, voluntate superioris ius, ac po-
testatem, auctoritate publica, aliquid agendi,
reddit, ac remittit. Qui dominio rei cuiuspi-
am renuntiat, iure, quo vltius haec tenus est, pro
arbitrio disponendi de rei substantia, vltu, fru-
ctu, recedit, illud aliis aperiendo, conceden-
do. In datis hisce casibus, hisce iudicis intui-
tiuis, si ab accidentalibus discesseris, quae va-
riari possunt, & variari nescias, illis inuolutas,
determinationes adsumseris, hanc tandem ge-
neralem renuntiationis notionem habebis, quod
sit remissio iuris permitti, ac sibi competentis. Ut
adeo nec aliud sit renuntiatio ministerii ecclesiasti-
ci, & ministro eius facta, quam quedam remissio iu-
ris, ex fine officii sui, sibi permitti. Haec vero
varie, diuersis velut ex lateribus, spectata, vel
coacta esse potest, vel spontanea. Ratio dichoto-
miae huius haec est, quod illa, accidente sen-
tentia superioris, vi facta censetur; haec pro-
priæ voluntatis nutu, ac arbitrio. De utraque,
pro loco & fine, quantum satis, dicturus.

§. II.

QUOD de dignitatibus ciilibus profertur,
eas,

eas, quemadmodum non sine merito clementer collatae, ita non temere, nisi ex causa delicti, cuiquam, in poenam adimi posse: idem de dignitatibus ecclesiasticis obtinet, quae, quo sanctioribus curis implicantur, eo sanctius habenda; quo hoc turpius & grauius, si foedantur, eo grauiore remedio curandae. Vides sic renunciationem, sive resignationem, munera s. coactam, auctoritate legis extortam, impium supponere ministrum, *νη ἀνοικα τεραζουντιν*, qui, legitimis prius confectis, aut munere s. plane remouetur, aut, non vana ubi adultererit poenitentiae spes, ab eo suspenditur, usque quam poenitendi intemeratam aliis praevierit, modum intemeratum sese emendandi facto monstrauerit. Rationes autem eiusmodi durioris processus, cum ministro, modo errores sunt praे primis fundamentales, modo officii negligentia enormis, modo vitae, morumque, extrema turpitudo, quibus, tanquam lutulentas, vineam domini subruit, summa imis, sacra miscendo profanis. Et sane, quod liber, si liceat dicere, aut non est, aut ego ignoro pestem ecclesiae capitaliorem, quam ministrum ecclesiae talem, publice scandalosum (*). Vtiam

(*) Pias piorum theologorum querelas super malo impietatis in ministro impio vide ap. Gerhard. loc. theol. tom. VI. l. de minist. eccles. §. 274, & apud Fecht.

nam igitur nec temper sua legi staret auctoritas & veneratio illaesa , ne, ex respectu turpi hominum , despectu legis, despectu consiliorum ecclesiae , praceptorum Christi , iudiciali vñquam potestate eximerentur vitiorum vinculis constricti, eorumque conuicti ministri ! Videres torte non paucos , qui nunc honoribus turgent, turgent diuitiis , & temeraria felicitate luxuriant, non solum officio remotos, sed etiam, ob scandali metum, extorres. Utinam, lenitate culpanda , & calua excusatione , eiusmodi probra ordinis sui , a nonnullis remissis doctrinae morumque censoribus, non exciperentur , cum communicatione alienorum peccatorum ! & vel eo videres auctoritatem , ac dignitatem ordini huic ex parte male habitam, ad modum ætatis Apostolicae , restituimus, plura in melius mutari. Tantum est distinxisse impietatem a pietate , a barbarie ciuitatem ! Quod si vero ad hanc, de qua loquimur, coætam renuntiationem ministerii . l. praeter voluntatem suam , vi iniusta adigatur minister pius & fidelis , dimittentibus ipsum , aut pla-

B

ne

philocal. f. p. m. 163. sq. Sed iuxta ex intimo dolendum corde, adeo paucos dari , qui illa ad se spectare credunt ; cum etiam improbissimi hodie meliora de se ipsis sibi falso promittant, se probes esse vana sapientia spe suspicentur.

ne renientibus , qui ipsum vocarunt , vim vi
repellere nequit , sed duro necessitatis telo ce-
dere. Certo persuasus , Deum , qui eum antea
duxit cum illi hoc ministerium concredidit ,
eum aut alio euocaturum , vbi ea , quae ex
vocatione fluunt , agendi prestas ipsi iterum
conceditur , aut etiam alia quacunque ratione
ipsi , ex paterna , qua prospicit omnibus , cura ,
prospecturum. Ipse enim est qui dat Ierosoly-
mae כבש laeta annuntiantem , vel si mavis ,
per enallagen numeri , laeta annuntiantes , Esa.
XL1 . 27. Ipse rerum , fatorumque series re-
gni gratiae moderatur : his , ob admissarum cul-
parum seriem , dum & mala malitia vexant in-
nocuos doctores , auferendo regnum suum ; il-
lis hoe dando , qui faciunt fructus eius , fructus
spiritus Matth. XXI , 43. stante , stante , Ipsius
semper sua imperuestigabilium viarum gloria.

§. III.

VEnio nunc eo , quo fides data ducit ad , re-
nuntiationem ministerii ecclesiastici sponta-
neam , ex domestico principio , arbitrio pro-
gnatam propriae voluntatis , cuius vires , &
agendi conatus , ex viribus intellectus digno-
scuntur. Non moror hic impios verbi mini-
stros . qui hoc compostae mentis primum ar-
gumentum si haberent , posse consistere , & le-
cum morari , plura forte aientia , quam negan-
tia ,

tia, pro spontanea resignatione, penes se inuenientur (*); dum aut parentes partem peccarint, ipsos, ex voto superstitione, ex instinctu alio quocunque malefano, vitae generi mancipando, ad quod inepti deprehenduntur, donis saepius destituti naturalibus, administrantibus, ne quid de diuinis, sanctificantibus, dicam: partem ipsi, dum in hac defectus donorum conscientia, caecis suis cupiditatibus indulgent, onus in se se suscipiunt, cui ferendo non sunt pares. Sed deprehendes hos, hoc in puncto, se se instar malorum patrum familias gerere, qui suas ipsi horrent rationes subducere, ne intelligent quantum debeant, & quietem sibi praesentem turbent. Ad pios igitur accedo, quibus, ubi per aetatem validam, vires mentis atque corporis, possunt, tantum id abest officio, ut, spontaneo ductu, officium facrum depo-

B 2

nanc

(*) Monstrat sermonis series loqui me de ministris emendari nesciis, qui, donis administrantibus non destituti, si serio se se emendare occuperint, illis renuntiationem tum non suadeo. Praefat enim serio velero, quam nunquam, officium facere. Et quam rara illa est felicitas, non fecisse poenitenda! Si fecerit hic, illeue, minister verbi, & ipsum poenituerit, par velim, & recta, cum Davide postea concinat voluntate docebo iniquos vias tuas, Psal. LI, 15, cfr. sec. post. §. ult.

nant, ut mihi magis possit ex officio contra-
rium. Quod si enim ex officio pii cuiusuis ho-
minis est, Deo, diuinisque rebus, summe de-
lectari, summum & verum cordis gaudium
in illustratione gloriae, in nominis illius pae-
dicatione, nunquam cessante, quaerere; qui,
quaeso, fidem tuam! possit minister pius ab
ea statione recedere, ubi, praeterea aliis omnibus,
seges datur uberrima de Deo, omni momento
cogitandi, illius gloriam, omnibus modis, il-
lustrandi? De salute simul sua, tum proximi,
etiam vilissimi, solicitus erit ὁ Ιησος απόστολος,
& hanc partem officii non video ubi plenius
implere possit, quam in officio ecclesiae publi-
co constitutus, & publica auctoritate, & spe-
ciali diuino, diuinis promissis conuenienter,
munitus auxilio. Maneat igitur, maneat, in
vocatione, secundum Apostoli monitum, in
qua vocatus est. Οὐδενὸς λόγος, nullius ratio-
nem habeat, ut ab oeconomia concredita ab-
strahatur: ne animam quidem suam ipse sibi
pretiosam faciat, ut perficiat cursum suum,
cum gaudio, non, ex angore, medio deficiat
in cursu, Act. XX, 34. Et quid? An mu-
nus, munere Dei, adsignatum, quibusuis de-
caussis, defugiet minister pius iniustu eius qui
ipsum vocavit; penes quem, ut ius vocandi,
ita solum residet dimittendi potestas. Cogitat
Scan-

Scandaia, cogitet pericula. Scandaia certe oriuntur ex illis, propriae, non in omnibus sanæ, voluntatis, illis murmurationis, infirmitatis, & inconstantiae, indiciis, quae cum renuntiatione, nutu proprio instituta, coniuncta esse solent. Pericula imminent tum ipsi, qui, hoc modo, deterit ecclesiam, & inde in grauiores plerumque tentationes incidit, ceu, tristi voce, testatur experientia: tum illis, qui deteruntur, quando prioris loco deteriorem, & impium doctorem consequi possunt. An credet prior ille, pro modulo suo, modulo hominis, pius, hunc maiore fructu, & commodo ecclesiae præesse posse, quam potuit ipse? cum tamen vita non minus & exemplo, quam verbis ipse docuerit, & faciendo, quod fere efficacissimum loquendi genus, locutus sit; hic dictis, & verbis suis, contraria agere non desinit. Praestitutam breuitatis metam transgrederer, si, ad haec, ex principiis iustitiae, atque prudentiae politicae, disserere vellem, quid iuris magistratui competit, non minus in ecclesiasticis, quam ciuilibus, eos, quos recte reputat idoneos, vel inuitos, ad officium hoc, vel illud subeundum, ex boni publici studio, cogere, simulque prohibere, ne, pro arbitrio, spartam commissam derelinquant.

§. LV

Piorum, & impiorum, in statu aliquantum tranquillo versantium, gressus emensus, iam ad tentatos, in statu turbulentio constitutos, progredior. Horum, quo miseranda magis est conditio, eo promptius subuenienda, lenius tractanda, medicina curatius adferenda. Evidem est verissimum, quod illi neruosius differunt, qui summam eorum, quae doctorem ecclesiae efficiunt, iniuere, temptationem nimirum absoluere quasi, & perficere theologum, & doctorem quemlibet ecclesiae. Quippe qua explorata virtus enitescit magis, augeatur, corroboratur, ut magis abundet *in diaconia*, *της διακονίας ἐν δόξῃ*, glorioius sit iustitiae ministerium, per quod iustitia I. C. offertur. Cum tamen temptationum magna sit varietas, prorrum, & caussarum, varietate, & illis, humanae imbecillitatis documentis, ad perniciem hominis nunquam non vti quaerat genius internalis, non adeo mirum, neque insolens, ut etiam piissimi, naturae corruptae vis vbi fuerit ingens, & insultus vehementiores, deflecent aliquantulum de spatio, curriculoque suo. Quod si igitur ministro cuiquam ecclesiae, in tali casu, sub temptationis aestu, constituto, contingat, ut humani aliquid patiatur, ut conscientiam teneram, angustam nimis, praetendat;

a. Cor. III,

9

dat; contumaciam auditorum, collegarum infidelitatem, perpessiones proprias, contumeliam, & alia caussetur; resignet functionem in ecclesia, eadem se prorsus abdicet: quid tandem consilii, prudentiae christianaee conuenienter, tum capiendum? quid agendum, ut diuina gloria sceptrum teneat, salus animarum punctum omne ferat? Instruendus est, non imperito feroore, non inani verborum strepitu, sed in manuetudine spiritus I. C. εὐαγγέλιον μαρτυρία, καὶ διδαχὴ, 2. Tim. IV, 2. erigendus, confirmandus est, non vaga persuasione, sed spe certa, viuaque, εὐαγγέλιον πιεύματος καὶ δυνάμεως, 1. Cor. II, 4. Rationes, quibus ipse ntititur, non dissimulandae sunt, quin potius solerti ingenio examinandae, acri iudicio confutandae, illis contraria argumenta, solida, propria, statui conuenientia, opponenda. Si vero inquieta mens, alia omnia secum anxie voluens, adtentionem adferre nequiverit, ut veritati cedat, & rationibus melioribus locum det, res utique ipsius arbitrio relinquenda, velir feso officio s. abdicare, vel non; si feso abdicauerit, quis nostrum ipsum condemnabit? proprio domino stat, caditque, Rom XIV, 4. Non potest cogi ad officium retinendum. Nos enim suademus fidem, non imperamus; ipsi imperium in conscientias relinquentes, qui arbitr

tei tui & dominus conscientiae, tum rectius informatae, tum minus instructae. An, sine crimine laesae maiestatis Diuinæ, in haec reseruata Dei, imperium in conscientias, & intellectus aliorum hominum, inuolabimus? Sed quid tum, inquieres, de sacerdotio, ordinatione, si, ordinibus, fiet, quibus initiatuſ est? An sacram adeo rem, & venerabile institutum, deleri quasi penes te, & in nihilum redigi, permittendum? Et tandem fidem, quam ſ. I. dedi, liberabo. Nosti utique, non veftitum, aut exterratum apparatus, sacerdotem facere. Ipſa ordinatio, ſi in nudam non degenerauerit caeremoniam, opusque operatum, ſalutaris quidem ritus eſt, quo, electo ad ministerium ecclesiae, & vocato, praemissa admonitione, per sociatas preces, diuina gratia impetratur ad rectam demandati muneris administracionem. At qui probaueris, hunc ritum ordinato characterem, ut fert multorum opinio, singularem, & inuolabilem, aut oppido, cum Pontificiis, indelebilem, imprimere, quo ex profano fiat facer, ex laico clericus, & potestate instruatur agendi ea, quae agere debet minister ecclesiae? Quando igitur, rationibus idoneis destituti, ordinationem pro tali instrumento, imprimendi characterem sacrum, non habemus, & ipsam potestatem ministri, partes

tes officiū oœundi, ex vocatione, quam ordinatio supponit, meliore iure deducimus; hinc cessante vocatione, cœflat etiam potestas. Unde quoque in ipso, qui ministerio renuntiaerit, hoc est, remiserit potestatem illam, quae ipsi, ex fine ministerii s. competitbat, nihil physicae qualitatis, nihil, quoad externa, peculiare, ac distinctum ab aliis hominibus, remanet, ceu videtur conceptu erroneo de ordinatione deceptis. Euaneſcit itaque, per se, dubium tuum, renunciationem cedere in damnum ordinationis.

SECTIO POSTERIOR,

Argumentum:

Argumentorum, quibus vtuntur, pro renunciatione spontanea, affecta conscientia in ministerio visuenter, capitibus indicatis, ea cum ratione, atque scriptura, tanquam aequissima lance, aestimamus, neque tanti ponderis esse, ut iustam renunciationis ministerii cauſam dent, breuiter ac modeſte manstramus.

§. I.

OMNIMUM hic inire numerum, qui in doctrina sectione priori exposita veri tramitem deseruerunt, & vel dextrorum vel sinistrorum calcarunt deuia, oppido inanis labor es-

C

set.

set. Praeterquam enim quod veritati indiffe-
rens illud sit, in quo^t opinionum diuertia ho-
mines extra sphæram emendatae, aut illumina-
tae, rationis constituti, in alio atque alio do-
ctrinæ capite abiuere; ipsa fatente veritate,
illos saepe tempus perdere, & stilum frustra
acuere, fateor, qui maiorem in recentendis
erroribus quibusuis, iisdemque prolixe refu-
tandis operam collocant, quam in veritatibus
rite demonstrandis. Ne igitur mea qualiscul-
que hac in sectione nauata opera, miniata, ex
isto capite, acuti censoris cerula notari possit,
ad pascua perducendus ista a me est, quae
praxi, quaeque pietati sunt proxima. Sistent
quippe tese nobis hic homines, de agendis lu-
bentius, ex communi humanae fragilitatis vi-
tio, disputaturi, quam ea acturi. Hos mo-
mentorū, quae transiliunt, festinante animo,
quae minus aequa laepe suspendunt lance, mo-
deste ita admonebimus, vt neminem in indi-
viduo pulset sermo noster, sed vt omnibus,
nobis non minus, quam illis locuti videamur.
Hanc autem in antecessum iudicij summulam
dissimulare non possum, dubia ista, & ratio-
cinia scrupulosa, quae mouent, & cum ani-
mo anxie voluunt illi, qui conscientia minus
tranquilla in officiis ecclesiae publicis verulantur,

non

non officia ipsis, sed inorum propriae animorum constitutioni, ac statui, adscriberenda esse, quo praeediti, sese Deo, & illius sapienti directioni, non omnino totos subiiciunt, vt in cruce, & luce, in rerum sursum deorsum extantium versatione, diuinae voluntati sanctissimae laeti adquietcere queant. Hinc propria voluntas, & sapientia, iugum ut excutiat commissae functionis, plura comminiscitur, iam conscientiam, iam altius, ad Deum adscendens, ipsius ductum specialem, praetexendo. Ad utrumque in hac q. respondebo, more momentis opportune, non obtrudentis moleste. Conscientiam, illud οίκετον διατήγεσθαι, non usquequaque commode, tanquam arietem, oppaueris cum noueris etiam dari erroneam; & iuxta nihil frequentius hominibus pestifero sepultis securitatis somno, quam ad conscientiam prouocare. Rationibus oportet ducatur explicabilibus conscientia tua, cur huc potius, quam illuc tendat, non inexplicabilibus abripiatur impulsibus. Ad singulos enim spectat illud diuini spiritus, Rom. XIV, 5. ἐκα-
στὸν ἑώ τῷ ἰδίῳ νοὶ πληρεῖσθαι, quisque in proprio sensu plene persuasus sit, vt sensu pleno, fiducia plena, plenis quasi velis, feratur in illam voluntatem Dei bonam, acceptam, & perfectam. Quo progressus, gustu quoque san-

Etio*re conuenientiae cum voluntate Dei statu-*
ere valebis de ductu diuino, modo memora-
to, an diuinam vere sapiat originem. Deus
certe est, qui facit sanctum suum mirabilem,
miris ipsum ducendo modis, ducendo pro con-
silio suo, cum tamen homines, animi latibu-
la, & arcanas inclinationes, sequentes, pro
diuino aliquando habeant, quod ipsis natales
debet, & quod diuina permittitur prouidentia,
non eius infertur efficacia; ductus, quem ob-
tendis, manifesta omnibus diuinitatis compre-
hendet indicia, si tanquam diuinus acceptan-
dus.

§. II.

Sed sunt, qui propria infirmitate, in mune-
re s. torqueantur, &c, ex ista ratione,
missionem efflagitant. Honesta ea missio, ex
veteri Romanorum consuetudine, vocari pot-
est, cum stipendia velut impleuerit minister,
hoc est, cum per sexectam, & quam ea ad-
ferte naturae confirmationem, a Deo quasi va-
cationem adipisci praelumitur. Quod ita fa-
ctum cum Leuitis, in V. foedere, comperimus.
Cauſariam vero, ex vsu Latii, illam dixe-
ris missionem, quae propter valetudinem, seu
morbum grauiorem, mentis, aut corporis,
efflagitatur, quo ad functionis munia, vel o-
mnia,

mni, vel potiora, in iuoneus redditur minister ecclesiae. Atque in hisce casibus vacatio munieris s. iure meritoque conceditur. Qui si ab fuerint, alia emergit rei facies, dum minister ecclesiae plurima libi ad hoc deesse videt, ut ex Pauli regula, vel potius diuini spiritus, per hunc amanuensem suum, se ipsum sistat Deo probatum, operarium, non pudendum, 2. Tim. II, 15. exemplum fidelium, cuius vestigiis infistant, ea sequantur in verbo, in conuersatione, in caritate, in spiritu, in fide, in castitate, 1. Tim. IV, 12. atque hinc se infirmum, inhabilem, indignum prorsus pronunciat, officiumque, quo functus haec tenus est, depone-re cupit. Quid? quod ipse Paulus de sua hic infirmitate queratur, ipse se ad satisfaciendum officio minime aptum agnoscendo. Sed bene habet; distinguit idem, in solatium suum, & infirmorum omnium, inter capacitatem propriam, quam nullam esse ingenue fatetur, & capacitatem, quam a Deo habet. Deus, inquit, *ἰκανως ήμες, idoneos nos fecit* ad fungendum ministerio N. T. pares facit rei praestandae, instruxit aptitudine, atque peritia. 2. Cor. III. Dilcat igitur hinc minister, de se ipso desperans, conscientia miseriae, & paupertatis, suae, serua prece, in fide promissionum diuinarum facta,

facta , ad Deum contugere , ut confortetur in Domino , & in robore potentiae illius , vt Ies-
sus , fortitudo eius ! eum in officio suo , con-
tra satanam , & regnum tenebrarum dimican-
tem adiuuet , subleuet deficientem , ne deferat
laborantem , tandem vincentem coronet ! Et
crede mihi , illum demum Deo gratum , &
acceptum , quin & ecclesiae maxime utilem ,
qui imbecillitatem suam , intimo cordis dolore ,
sentit ; non illum , qui de sua sibi multa polli-
cens capacitate , suis donis , se , & sua , in oc-
culto cordis fundo , magis quaerit , quam De-
um , & ea , quae sunt ecclesiae . Quod si ve-
ro nihilominus contristetur animo , tot & tan-
ta ea esse existimans , quae ab ipso requirun-
tur , vt impleri ab ipso minime possint ; eo a-
nimum mox firmabit , quod quae *adivatae* sunt
apud homines , ea non sint *adivatae* apud Deum .
Sed neque ea quae difficilia videntur , eius in-
dolis sunt , vt fieri plane nequeant , modo
accesserit animus laboribus suetus & sudoribus ,
divina virtute roboratus ; non animus , qui , ad-
fectu quocunque abruptus , difficilibus difficul-
tates ipse annexit , eoque regni diuini dilata-
tionem impedit , sufflaminatque .

§. III.

Non his adquiescant , qui , propter conscienciam

tiam, liberationem a cura, & administratio-
ne, ecclesiae anhelant; plura adhuc congerunt
dubia. Praeoptant aliud vitae genus, tot pe-
riculis, salute excidendi, non circumseptum.
Dicunt adtentram illam, & continuam, tot a-
nimarum curam, quam, ex ratione officii,
gerere debent, impedire prorsus ipos, ne iu-
stam propriae animae curam impendere queant.
Urgent contumaciam ipsis inexpugnabilem au-
ditorum, coram supremo Nunine, cum Pro-
pheta profitentes: *quis credidit audito verbo nostro,*
& brachium Iebouae, hoc est, omnipotens do-
mini virtus, quam in primis in admirando re-
demptionis opere monstrauit, cui reuelata? Sane
quam paucissimis. Obiiciunt improbitatem col-
legarum, qui fide diuina, & caritate, vacui,
praeceptis non modo ipsi suis postillatoriis pon-
dus detrahunt, sed etiam fidelibus fidelium in-
stitutis obstacula oppido non pauca obiiciunt,
ipos quoque, multiformi nequitia, *ξηλω, οὐκ*
εἰσιγνωσθεί, lacefendo. Prouocant tandem
ad exempla, memoriam omnis aei replican-
tes, & hinc inde quosdam producentes, qui,
propter rationes adlatas, ponderi conscientiae
graui, per resignationem, humeros subduxer-
unt. Hisce ratiociniis singulis neruum proli-
xo incidere sermone imperata vetat breuitas.

Pau-

Pauca tamen, per partes, reponiturus, primum
 hanc quemque in Deum fiduciam habere ve-
 lim, non calu caeco se in lucem hanc editum,
 sed attendisse, inde ab aeterno, artificem mun-
 di summum, quo tempore, quo loco, quo si-
 tu, quo statu, quemque exponeret in hac v-
 niueritatis tabula, tum gloriae suae, tum sa-
 lutis cuiusuis, rationibus sapientissime expensis.
 Nam potuit idem ille Deus, qui est potentissi-
 mus, te in isto statu constitovere, qui saluti
 tuae maxime conducturus esset, aut salutis cu-
 ram si tu habere non vis, saltem minime ob-
 futurus. Voluisse autem eum hoc, quid du-
 bitas, qui nunquam non vult, quod optimum
 (*) Viue igitur cum statu tuo contentus, pa-
 tientiae vbiique memor. Quod si vel saepius va-
 rientur circumstantiae tuae, praesentem vbique
 habes Deum, qui te calamitatibus subiicere
 potest. Adeo vbiique diabolus, qui tibi insidi-
 ari potest. Carnem vbiique circumfers, qua
 capitalior hostis tibi nullus: vbiique ores neces-
 se: Domine, custodias me a me ipso! (**)
 Deinde vero aliorum curam gerere, & sui i-
 psius incuriosum esse, id prope abest a demen-
 tia.

(*) cfr. Fritschii *Analecta sacra & moral.* Lib. II,
 c. 69.

(**) cfr. Fecht, *Instruct. Pastor,* cap. VI. §. 5.

tia. Hoc Deus vult, ut propriae domui praesesse sciat minister verbi, & tum demum eccl esiam, quae domus est Dei, studiose curet. Quod in pietatis stadio masculine desiderantem non sufflamine stringet, non; virtutis potius christiana omnis palaestra continuo erit, ad noua in iis capienda incrementa, novos faciendi progressus, quod caput huius, & futurae, felicitatis. De caetero, quod ad auditores adtinet durae ceruicis, quomodo, quaeſo propter *οὐλησαεδιαν*, horum ministerium deponere potest, qui ideo id ipsum suscepit, ut esset ductor caecorum, doctor simplicium, & insipientium. Praeceptum illi, ut doceat omnem hominem, in omni sapientia, ut sicut omnem perfectum in I. C. Praeceptum, ut loquatur, siue audiant, siue omittant, si vel maxime illi *רְבָבָה* rebellio, monita proterue spernentes ipsos monitores adorientes, illis, in complementum impiae suae hilaritatis, illudentes, Ezech. II, 6, 7. Cum neque sic quidem gratia diuina effectu suo priuetur omni, neque diuina operatio frustranea, sed efficax semper, si vel pietatis non semper efficiens. Quid? quod quoque perseverando, non incipiendo, res saepius habeatur. Praeterea collegarum malitiam tolerando, precando, benefaci-

aciendo, si expugnare nequuerit, leuorem certe sibi reddere studebit, quippe qui erit ~~irreverenter~~, malum toierans, ac sustinens, si forte & malis dederit Deus poenitentiam, in cognitionem veritatis 2. Tim. II, 24, 25. Verbo haec dicam omnia: meditatum hoc, inde ab ingressu in ministerium, ministro esse debet, ministerium, non aliud esse quam continuam crucem. Tu, si sapis, hanc altissimo laetitiae sensu, recipe, tanquam salutis calicem. O te beatum, si hanc reputaueris meram paternam gratiam, & gratias pro gratia crucis, Deo reddideris gratissimas, quas nosti esse rarissimas! Et tandem ad exempla venio, ad quae prouocatum; quorum quaedam haud sunt ignota. At paucis istis exemplis, ex quibus tu iustum petis renuntiationis caussam, si ego nubem testium, cateruam opposuero exemplorum. Inter ea familiam dicit ipse Iesus, ἀπόκρυψον τὸν ονόματόν μου, salutis unicus, ne alia nominem nomina sanctissima. Eos respiciat, consideret, minister ecclesiae, quantam ipsi sustinuere contradictionem; non tamen defatigati, ne & ipse defatigetur, animo deficiens. Nondum, cum illis, usque ad sanguinem, sanguinis & vitae profusio- nem, repugnauit, Ebr. XII, 3, 4. Consideret con-

contra, quam male illud cedit *sonae*, quod vocationem Dei, & munus adsignatum, ob rationes, quas ipsi sua suggestit sapientia, declinauerit, *Ion. I.* *Mosè*, multis lese excusanti, linguae obtendenti difficultatem, succenseret Deus, suumque reponit auxilium, *Exod. III, IV.* *Ieremias*, ex *Schmidii calculo*, XX. circiter annorum adolescens, aetatem nondum maturam, inexpertem, praetendit; cui responderet Dominus *אָנֹכִי תְּכַרְבֵּךְ אֶתְכֶם* *ego*, ne timeto, *Ier. I, 8.* Et tu, hanc si habueris fiduciam, quis contra te erit? Non adflictio, non angustia, non persecutio Te separabit a caritate IESU, cuius meliflua vi incensus, animas lucraris ipsi supremo animarum pastori. At excipis, tecum, quemadmodum cum illis, non fuisse Dominum ab initio, tuis impeditum artibus; Te tui sacerdotii primordia ab ipso non cepisse. Ne timeto! nam sic in te descendas, reprehendas te oportet, antequam emendes. Confide! initia in christianis non adeo spectantur, sed finis. Laudantur *Iudee* exordia, exitus damnatur. *Paulus* male coepit, sed conuersus, non destitut, antequam coronam reportaret vitae. In curru vero ministerii constitutus, sancte testatur: *Ἄντε γάρ οὐοι ἵνεσθαι, necessitas enim mihi insumbit*, scilicet ut euangelium praedicem, propter

pter Dei mandatum & vocationem meam. Vnde
mibi est, si non euangelizem. Si namque hoc lu-
bens facio, mercedem habeo: sin inuitus, econo-
mia vel dispensatio haec mibi concredita est;
2. Cor. IX. 16, 17.

TANTVM.

